

AN. 297, 51.

Z d
6231

DE VESTIGIIS PROVIDENTIAE
 DIVINAE
 IN CONCERTATIONIBVS NOSTRAE AETATIS
 DISSERVNT
 VIROQVE
 SVMME REVERENDO
 ET EXCELLENTISSIMO
 IOANNI GOTTLOB
 RICHTERO,
 EPHORO IAM EXOPTATISSIMO
 SOLENNITATEM HANC

GRATVLANTVR

ORDINIS SACRI APVD FREIBERGENSES COLLEGAE,

M. Carolus Gottlob Hunger,
 Archid. et Minist. Sen.
 M. Io. Christian Frisch,
 Protom. Petr.
 Gottfr. Aug. Küchenmeister,
 Protom. Nic.
 M. Io. Frid. Pistorius,
 Conc. mer. ad D. Virg.

M. Gottlieb Frid. Hilliger,
 Conc. mat. ad D. Petr.
 M. Erasim. Anton. Schindler,
 Conc. mat. ad D. Nic.
 Io. Frid. Rost,
 Diac. ad D. Iac.
 M. Christian Frid. Seyfert,
 Past. ad D. Io. et Barth.

AVCTORE

DANIELE GOTTLOB HERINGIO
 ART. MAG. ET CONC. VESP. AD D. PETR.

FREIBERGAE, D. XV. APRILIS MDCCCLXXXI.



DE VESTIBULO LEGISLATIONIS

IN

DE CONSTITUTIONIS VESTIBULO

DE

VIRO

ANNO REVERENDO

IN

IOHANNI GOTTLIEB

RICHTERO

IMMORTALI

CONSTITUTIONIS

DE

CONSTITUTIONIS VIRO

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

VIRO

IOHANNI GOTTLIEB

DE

DE



Vir Summe Reverende, Ephore Dignissime

Factum igitur est id, quod omnium expectatio praevidebat, omnium vota concipiebant, ut TE, quem ingenii, doctrinae, sanctitatis exemplum habueramus, jam etiam praesulem veneremur. Communis hujus laetitiae etsi testimonia plurima accepisti tam singulorum, quam universorum nostrum, tamen ut hujus diei sollemnitas ad posteros quoque propagaretur, scripto amorem in TE nostrum, atque adeo gratulationem publicam volumus significare, ut quam latissime innotescat apud ceteras urbes, quanti TE faciamus, et nobis de TE gaudeamus.

Argumentum dissertationi ad TE quaerentibus videbatur id optime desumi posse a temporum, in quae non incidimus, sed distribuyente aetates humanas divina sapientia devenimus, ratione. De qua etsi plurima dicta et scripta sunt a claris et peritis viris, tamen in locuplete hac materia alio atque alio veluti visionis puncto poterit res considerari, quorum praecipuum neque vulgo tractatum nobis videbatur illud esse: **Quae vestigia providentiae divinae reperiantur in dissensionibus, quibus Ecclesia nostra hoc tempore passim exagitur.**

Nam si credi potest, quin debet, nihil esse in humanis rebus a divina providentia non iam praevisum, definitum atque ita constitutum, ut saltem aliquando suam salutem ferat secum, multo magis id statuendum est de Ecclesia, quae sola aeterna, sola invicta est. **Quam multis turbatum iri tempestatibus extra, dissidiis intra se, et praedictum est a Servatore ejusque legatis, et omnium temporum experientia confirmatum.** Dissensiones au-

tem ipsae, ut multo clarius exponerent, distinctius explicarent, cautius eloquerentur doctores gravissimas religionis partes, effecerunt. Multi etiam, qui in concordia perpetua latuissent, quo ingenio, quo sensu uterentur, demonstravere, sive in hanc sive in alteram se partem applicarent. Sed accedamus potissimum ad nostra tempora, quorum initium videtur optime, quod non miraberis VIR SVMME, a TVIS annis academicis capi posse. Et incidit in id tempus aetas plerorumque, qui jam aut ornant Theologiam docendo scribendoque, aut convellere student.

Fuerat autem usque ad annum huius saeculi quinquagesimum octavum alta in Ecclesia pax et quaedam veneratio, ut Religionis ita quoque Doctorum, et post longas concertationes Pietisticas, Terministicas, Wolfianas, videbantur gravissimae controversiae tacendo sopiri tandem aliquando posse. Florebant aetate et fama Walchius, Pfaffius, Moshemius et eorum similes, et ne a TVA Philurea discedamus, paucos annos ante TVVM adventum finierant cursum Boernerus, Deylingius, Hebenstreitius. Sed eorum desideria leniebat alumnus et collega tantorum virorum Crusius, cumque eo Wollius, Stemlerus, Bahrdius pater, quanti viri, quam severae doctrinae, quos TV colebas! Ab his vel dissentire velle, iam arrogans videbatur, iis contra dicere, temerarium; at si quis tales ludos edere voluisset, eorumque in famam et merita ita grafari, ut nunc maximorum Virorum nomini et memoriae fit, eum TV Tuique similes dixissent lymphatum esse. Ipsius autem doctrinae erat castus quidam et diligens modus, erat sollertia in meditando, cautio in eloquendo, et Verborum divinatorum atque Librorum Symbolicorum tacita quaedam apud docentes audientesque veneratio, ut piaculo fuisset ea cogitare, quae nunc multa cum impudentia, argumentis omiſſis, quia nulla sunt, quasi ex tri-

pode

pode eduntur. Vnde vero illa orta sit rerum sensim conversio, ut Respublica Sacra nemine fere sentiente in aliam partem sic mutata, age inquiramus.

Recens felicissimae TVAE memoriae observabitur Lohmanniana illa tragoedia. Fanaticae illius puellae sive morbus sive phantasia, sive quicquid tandem fuit, cum in se esset res levis, occasionem gravium malorum dedit: Nam cum quidam, ceteroquin non spernendi Viri, aliquid ultra naturam subesse putarent, contra dicebant alii, qui dum historicis argumentis, eque re nata peritis deberent militare, ad Metaphysica nescio quomodo delapsi sunt, adeo, ut cum evincendum esset, foemineum morbum hos effectus edere, non Satanam aut magicas artes, ipsi de viribus Spirituum in corpora ambigerent, urbanius saepe, quam subtilius. Annum ut sit in minoribus, videbatur duratura illa controversia, nisi duo recentes tunc sed aliis studiis dudum clari, quos intelligis, Theologi accessissent, Daemonologiae acres adversarii, vicinis in Academiis, quorum alter apertius ageret scribendo docendoque, alter tectius, et saltem latus clauderet amico suo, qui tamen quo ipse animo fuerit, cum adhuc vigeret, schola eius in dies clarius incipit significare. Inde mox transitum est ad obfessiones, quas Evangelia narrant tempore Servatoris extitisse et ab eo sanatas esse, ab his, ut proximum sane erat, ad fidem Evangeliorum ipsam, mox ad *Θεοπνευστων*, inde ad refecandum Canonem, et quid iam non? Reclamabant se veriores Theologi, qui prae studio novarum sententiarum a multitudine non sunt auditi. Erant ergo dissensiones, sed magnos inter auctores paene solos agebantur, reliquis faventibus uni quidem clam, vel diversae opinionioni, publice tamen tacentibus. Verum ut sit, accedebant nemine quidem invitante juniores nonnulli et audaculi, qui multo

cum strepitu, sed minore robore eadem illa prosequerentur, sive ut famam sibi, sive ut ceteris invidiam facerent, quorum partes sat temere vel oppugnabant vel defendebant. In quo itaque primi illi antiquae Theologiae adversarii pedetentim et cunctanter processerant, hi nec eruditione nec cautione pares veluti agmine facto, subruere primo impetu omnia religionis fundamenta satagebant. Ita Libellus Libellum, Compendium Compendia, Dissertatio Dissertationem secuta est, eandem fere lyram omnes oberrantes, ut jam etiam, quae sola eiusmodi foetus commendare siveverat, novitatis gratia abiret, Mundumque taederet, per annum quemque olera adeo recocta sibi apponi. Verum de his postea quidem.

Clamabant initio contra tanta mala docti et acres Theologi, quorum magna pars iam ex pugna hujus mortalitatis ad aeternam pacem abiit, ut videretur quodammodo evenisse, quod nonnemo scripserat: Modo sinantur intermori, qui intra sexagesimum atque septuagesimum vitae iam annum versarentur, se dein facile transformatos Ecclesiam. Quod haecenus sefellit, et ut porro fallat, Deum oramus. Sed illi ipsi clari Theologi, quam acerbe et ut vere dicamus scurriliter excepti sint, in vulgaribus Ephemeridibus et petulantibus libellis et carminibus, satis in memoria est, utque aegre hoc tulerint saepe ipsi adversariorum modestiores. Nam si hoc liceat, calumniari et irridere, quem refutare nequeas, omni nequitiae fenestra aperta est. Verum ut solet, nihil illis Tolerantiae praconibus solet esse, si contra dicatur, intolerantius.

Sed ut ad prudentium Theologorum, sive vivant, sive iam abierint, praesagia reverramur, duo dicebant futuris temporibus timenda. Primum, ne aucuparentur aliquando has discordias nostras Romani *αἰνοντες καὶ τὸν τόπον, καὶ τὸ ἔθνος*. Esse Passavien-
sem

sem, esse Osnabrugensem formulam, utramque invitissimis extor-
tam, Papa vero vetante et reclamante, sola nixam conditione:
Augustanae Confessionis focii si maneremus. Iam vero, si non
modo librorum tam solennium auctoritas, verum etiam ad unum
omnes fere eius confessionis articuli a nostris retractarentur, certe
eos, quibuscum illi pacem fecerint nusquam reperiri. Iam si
occafio civilis accesserit, ipsos facile se exfoluturos iuratae pacis
vinculo. Videmus certe Dilligenses aliosque proavorum nostro-
rum memoria sic bello tricennali praeluisse, et nunc incipiunt
scriptis spargere, iam vix ullum esse religionis avitae caput, in
quo Protestantes adhuc consentiant, ut nuperrimus editor Au-
gustini in praefatione per omnes partes exemplis nostrorum de-
generum filiorum demonstravit. Fuerunt alii, qui nostrae et
sequenti aetati miram inde conversionem rerum augurarentur,
quos optamus vanos fuisse. Certe securitatem nimiam saepe
magnae vexationes Ecclesiae exceperunt, et, quid ferus Vesper
vehat, si externa praesidia forte ruant, pariter ignoramus. Alte-
rum et intestinum damnum, quod olim prospiciebatur, nunc jam
se exferit, est hoc: Aguntur illae controversiae non populari iam,
verum et plebeia ratione, ut quasi gladiatores spectante populo
congregiamur, qui pro sua levitate deterrimo cuique maxime favet.
Et, quia libelli illi parvi, aere parabiles, leviusculi, non vernacula
solum sed quoque verniliter scripti, haud magna lectorum foller-
tia indigent; coemuntur legunturque ab iis, qui vix elementa reli-
gionis didicere, emuntur ab Institoribus, Quaestoribus, et aliis, qui
se gaudent tam facile sapere ultra sacerdotes posse. Ipsae foemel-
lae iam, πάντοτε μαιδάνουσαι καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν
δυνάμεναι loco acicularum, Polemica tractare gestiunt. Vnde mi-
rus contemptus sacrorum oritur apud levissimas mentes, templa
nostra

nostra solitudinem incipiunt sentire, et sanctissima exercitia obire habentur et infrequenter.

Verissime haec omnia, et nisi aliunde lux affulgeat, post viginti annos latius erunt obtentura, si Deo visum fuerit, arcanas ob rationes remotiores suas manus tenere. Verum nunc quidem ut se res habet, multi restant obices, quos perrumpere audacia non statim poterit. Et animadversum hoc est omni Ecclesiae tempore, Veritatem divinam nunquam expugnari potuisse, obscurari quidem interdum, sed non diu. Id nos, qui religionem tuendam ornandamque accepimus, non remissos quidem ad docendam eam defendendamque facere debet, veruntamen unumquemque, qui bona fide boni causam agit, boni etiam eventus atque adeo victoriae certum. *Τὸ γὰρ εὖ μεθ' ἡμῶν, τὸ γὰρ εὖ μεθ' ἡμῶν.* Sunt igitur in universis illis de religione litibus domesticis, nam externa bella iam utrinque quieverunt, tot vestigia singularis providentiae, quae attentum spectatorem signorum nostri temporis effugere nullo modo possunt. Maneamus igitur in his viginti quinque proximis annis, hac lege, ut neminem ullius partis nomine compellemus aut sigillatim notemus, quod esset, uti solentitati hujus TVAE congratulationis, ita muneri nostro, quod *δικαιοσύνη τῆς καταλλαγῆς* potius est, contrarium. Pudeat tacitos, qui se notatos putaverint.

Prima videtur nobis Providentiae moderatio in ipsis esse, qui turbas nostra hac aetate cient, gaudentque si possunt haereticum haberi, quod plus est, quam ut in unumquemque cadat. Nam ut concitatorem Reipublicae esse, non est ita facile, sed opus est calliditate, audacia, constantia, patientia adversorum, usu rerum, facultate deliniendi alios, specie etiam quadam virtutis et pietatis, qualem Catilinam Caesarem et Cronwellium accepimus: Ita qui

invidio-

invidiosum titulum ambit Haeresiarum, eum oportet virum esse
gravem, continentem, astutum, ingenii magni, industriae singu-
laris, doctrinae, qua par sit orthodoxis aut etiam superior, qui
animos humanos norit penitus, summis viris sit familiaris, eruditus
probat, multitudini carus, quem appareat aulae artes tenere,
non umbratile genus, splendidus praeterea, ambiciosus, potens.
Eum sane hostem non contemnendum dixeris ipse, VIR SVMME
VENERANDE, et dignum, cui unitis viribus et argumentis obviam
eatur. Talis erat Samofatenus ille Paulus, tales Arii, Macedonii,
Nestorius ipse, quorum vitam non reprehenderis, eruditionem
vero etiam admireris, sordes autem et incuriam obicere nullo
modo queas. Hi etsi in summam nihil profecerint, molesti tamen
multis modis fuere, et nisi aliud, magnis tamen exciderunt ausis.
Conferat mihi quis novellos cum his tribunos plebis, et
totum adversantium exercitum. Ex prima certe acie nullum in-
veneris vere Philosophum aut Theologum, subtilem et clarum,
qui si etiam in uno vel altero dogmate in laevam inclinent, funda-
menta ipsa sinunt et sinent intacta. Ex secunda vero vel etiam
tertia acie nonnullos habueris sed oppido paucos, quos aliquid
ex humanioribus vel bellis litterulis iussit de se ipsis magnifice sen-
tire. Historici forte, aut Antiquitatum indagatores, aut qui
Orientis lingvas primis labellis gustavere, aut, quo praecipue spi-
ritum capiunt, ad plebem diferti. Verum etiam hos numerare
queas.

Iam vero illos ut capros græx, alii velut agmine secuti

Prodeunt oratores stulti, novi, adolescentuli:
qui ingenio aliquo praediti, quod solidae doctrinae et acuminis
in meditando vicem non adeo bene supplet, immatura studia in
publicum protrudunt, docentes magis, quam docti. Saepe

B

Prif-

Prisciano, Nizolio et Grossero multo infestiores, quam Gerardo, Calovio et Scherzero. Legere antiquos sive Patres sive alios Ecclesiae doctores ne sustinere quidem, qui si forte in alienam messem aliquando falcem mittant, misere perstringuntur a Criticis et Cenforibus, qui scapham scapham appellant, nec pro novo dogmate sibi patiuntur accenferi, ubi ignorantiae vitium animadvertunt. Et quod absque studio aut invidia dici potest, et palam est: Si desultoria et varia bilia ingenia quis vellet, ut apes in alveari invenire, inter Novatores quaereret! Quid reliqui? Hic ob amores promiscuos patria exfulat, alium fraudes in pecunia sacra arguunt, alius ob mores heterodoxos munere excussus est, alium aes alienum nusquam diu subsistere finit, alius rixarum et calumniae artifex, alius petulans, lascivus, ridiculus, qui omnes iure suo religioni et bono ordini succensent, quibus stantibus ipsi salvi esse nequeunt. Quot rumores, qui libelli vulgati sunt, quibus eorum vita et genius describitur ab iis, qui penitius eos, saepe non sine damnis suis, nosse coeperunt. Bene actum esset de Ecclesia, si tales semper oppugnatores habuisset.

Veniamus iam ad eorum nova dogmata et quasi Confessionem fidei subiungamus, in quam fere omnes conveniunt, quo appareat, quam fideliter unus alterum exscribat:

„Confiteor equidem Theologiam, qualem natura dicit, cui,
„que sive Christianus sit, sive non, sufficere ad salutem, alteram,
„quam revelatam dicunt, incertiolem hauriri ex libro, qui propter
„antiquitatem putatur a Deo dictatus, sed qui sensu est ambiguus,
„et populares saepe errores retinet. Concedo esse Deum, sed
„eundem genuisse ex se non credo, misericordem arbitror, vindicem
„scelerum non item. Quem filium ait scriptura, creaturam,
„Spiritus vero Sanctum vim quamdam a Deo exeuntem puto.
„Angelos

„Angelos et Daemones aut vires quasdam occultas denotare puto,
„aut naturas cogitantes quidem, verum extra se inertes, ut nec
„in animos hominum, nec in corpora, verum nec in materiam
„ullo modo agere possint. Hominem nec in sanctitate condi-
„tum, nec per Adami comestionem, quae mera allegoria est, aio
„esse corruptum, et quod originis vitium dicitur aut defectus vi-
„rium bonarum, Augustini commentum reor. Quare nec satis-
„factione opus est, sed doctor et exemplum Christus generi hu-
„mano futurus in mundum venit, qui varia inter Iudaeos correxit,
„interdum vero popularibus erroribus ad suum commodum usus
„est, uti in obsessis fecit. Iustificationem et fidem dico obedien-
„tia in Christi praecepta absolvi, Sacramenta memorias puto et
„signa, praeterea efficaciae nullius. Ecclesiam Ens rationis exi-
„stimo esse, a quo ordo, formula docendi, et potestas omnis debeat
„abesse, ut quisque pro lubitu doceat agatque, Symbola vero iu-
„gum intolerabile, Poenas inferorum aut nullas, aut saltem non
„aeternas credo futuras.,,

Haec est ergo si ad summam redigatur Epitome non creden-
dorum, in qua tot occupantur, si a singulis quibusdam opinionibus
discefferis. Sed ea omnia, ne forte putent a se inventa, docet
in Rechenbergiana Appendice ad Libros Symbolicos Pars I. c. VIII.
Symbolum Apostolicum in Sensu Socinianorum; et nihil ferme
hodie a Neologis proponitur, quod Ostorodi et Schlichtingii Ca-
thecheses non totidem syllabis contineant. Adeo nova sunt, in
quibus nostra aetas se miratur tam repente Socinianam esse factam.
Dici autem ab iis nihil potest, quod non Meisnerus, Stegmannus,
Calovius et Scherzerus iam subtilissime et accuratissime refutave-
runt et confixerint argumentis. Qvi optime meriti de veritate

auctores si tractarentur diligentius, intelligeretur inter ceteros ad-
versarios nihil levius esse Socinianis.

Quo etiam fit, ut quo quis sit iunior inexercitiorque, eo
magis trahatur illis opinionibus, quae ingenii speciem quandam
affectare vel videntur. At ille ipse maturior aetate, exercitior
in meditando, assuetior Verbo divino factus, exiit quasi se ipsum,
ut quam nihil solidi toti illi generi insit intelligat. Praecipue si
muneris molestia, experientia et usus rerum, multaque lectio ac-
cesserit, quae ostendit, quam e trivio illa oppido rarissima sint de-
sumpta, solidique contineant nihil. Acriores ex iis saepe exsurgunt
adversarii in eos, a quibus sibi adeo illusum esse aegre ferunt.
Dei etiam haec est providentia: Ὅς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι,
καὶ εἰς ἐπιγνωτὴν ἀληθείας ἐλθεῖν.

Singularia praeter alia subsistamus in fatis, quibus eiusmodi
homines utuntur. Scribunt aliquid, in quo fortasse praeter lo-
quendi modum nihil insit novi. Iam fama exit tam felicitis foeris,
nec desinunt aeneatores, saepe aere conducti. Commendatur
liber sive in recensionibus leviculis, sive in circulis, quasi singula-
ria in eo essent praestita, emitur, legitur, commodo datur aliis,
a quibus saepe non intelligitur; praedicant uno ore, quibus reli-
gio est submolesta, quique nutrimenta vitiorum, fomenta animi
aegri in eo libro quaerunt. Sed non tantum inveniunt, quantum
expectabant, mox unice dilectus liber neglectus ad plures mittitur.
Quisque annus, ut novos fastos, novam Comoediam, novam fa-
bulam Milesiam, ita etiam postulat novum compendium Paradoxo-
rum, sed etiam suo anno terminatur. Graminis flos est, at VER-
BUM DOMINI MANET IN AETERNVM.

Sic saepe exsurgit novellus doctor, qui ut sapere videatur ali-
quid, coelum vituperat, atque multi famam, quam quaerunt, inve-
niunt.

scio

8 11

niunt.

niunt. Accurrunt iuniores, cupide haurientes recoctam sapien-
tiam, saepe pecunia et dignitate nova tantus Vir exornatur. Sed
uti quae cito fiunt, citius evanescent, ita propiore in luce cognitus
lembus est, quem triremem putaverant, praecipue si in moribus,
ut fit, tam heterodoxus est, uti erat in doctrina. Ita profunde
inserit Providentia radices religionis, ut nulla aura eam evellere
possit, etsi paululum motet animos. Deus est ὁ δρασάμενος τοὺς
σοφούς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. Quae non molimina omni tempore
contra coelestem doctrinam suscepta sunt, quot homines abusi in
id sunt ingenio et tempore suo, ut aut universam tollerent, aut
singulas partes furtim subtraherent, nixi saepe Potentium favore!
Quid vero effecere? ipsi paucos post annos abiire, rationem red-
dituri τῶ ἐτοίμῳ ἔχοντι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Quot non poeni-
tuit iuvenilis temeritatis! quot non retractarunt ultimis scriptis,
quae prioribus criminose dixerant, saltem ex parte! quot non
poenituit morituros, pervertisse aliorum mentes, aut suas perverti
sivisse, de quo libri varii extant, sed nostra, nostra inquam, qui
Evangelium docemus, experientia multa ἀνέκδοτα colligit, quam
nihil sit incertius incredulitate, si ad articulum mortis venitur, ubi
libenter abiiciunt has haesitationes suas. Ipse certe Magnus Gro-
tius moriens se nihil egisse confessus est. Ita Providentiae divi-
nae facile est, pertinaciam nostram contundere. Sic Lessingius,
quae virulenta in nostram fidem scripserat, saltem ex parte re-
tractavit in libello, quo Christianam religionem, ait, optimam fuisse
instituendi generis humani eiusque ex ruditate connata protra-
hendi rationem, et multum saltem honoris religioni, quantum in
ipso fuit, restituit, antequam e viventibus excederet. Iam veluti
nullus liber est tam malus, ut non quid boni inde petatur, nihil
tam leve, ut a Providentiae moderamine sit exceptum; ita nec illi

libri jocularis, qui in vulgus spargi ex occulto solent, et aut diserte
contra fidem disputant, aut contra eius defensores. Quos etsi
iniquum est populo deridendos propinari, tamen nec peritos id
magnopere afficit, nec ab imperitis aliter, quam prima lectione pro-
batur, existimationique obesse solet magis eorum, qui scribunt,
quam contra quos scribitur. Certe, qui eiusmodi armis in re-
seria ludit, ille de melioribus argumentis desperare videtur.
Quam cupide, ut hoc utar, Sebaldus ille Tolerantiae patronus
acceptus est, nempe quoad vivebant, in quos nominatim faba cu-
debatur, quibus iam extinctis gratia et lepores nitidissimi libelli
intermortui jacent; praecipue postquam Bunckelii Vita ab utra-
que parte communiter est explosa, ipse editor iam plane obmu-
tuit. Idem experientur famosissimi iam Fasti, quos Anonymus
Ecclesiasticos pariter atque Haereticos denominat, in quibus in-
genii varietatem laudare possis, veritatem paucis in locis invenias,
iram ubique et malignitatem. Quo in libello cum iis optime
videtur actum, qui reprehenduntur aut irridentur procacius, sed
haudquaquam gratiam magnam habebunt, qui ut eorundem con-
filiorum clam participes, mirifice collaudantur. Qui cum iam
ante fuerint secreti foederis suspecti, hoc libello ex suo angulo
exque dissimulatione et tergiversatione sunt protracti, ut aut pro-
bare in posterum ecclesiae sinceritatem suam debeant, diligentia
et cautione maiore scribentes docentesque, aut silentio confiteri,
se quoque earum partium esse. (Nonnemo vero, ab Anonymo
laudatus vehementer maligni hominis laudes spernet, cum et
eius olera fastidiat, et de meliore nota sit commendatissimus.)
Ita nec hic libellus sine consilio sapiente permittentis divini Numi-
nis scriptus quidem nobis videtur. Sunt igitur omnes illi cona-
tus nihil aliud, quam fluctus in simpulo excitati, et diligenter pro-
visum

visum est a summo magistratu tam civili, quam sacro, ut nihil inde mutationis nec in cultum publicum, nec in doctrinae typum, nec in leges ecclesiasticas transmigrare queat. Maneat ea optamus omni tempore Moderatoribus rerum! Verum certe est, quod Baconem dixisse ferunt: Si Civitas est Navis, Anchora eius est religio, quae convelli non potest sine titubatione navis ipsius.

Gratulamur autem nostrae Ecclesiae, et Evangelicae universae, et huic Saxonicae seorsim, quod post obitum tantorum Virorum in Cathedra et Templis nobilium, tales successores invenit, ut orba et destituta nullo modo videatur. Ita urbs Saxoniae princeps, Proto-Synedrium et tota Electoris ditio nuper Am-Endii successorem accepit doctissimum in omni genere litterarum et Theologiae, solertissimum autem vigilantissimumque in gubernando, REHKOPFIVM, cui ut divina benignitas, quae Patriae nostrae hoc columnen restituit, aetatem longam vegetamque attribuire velit, pleno pectore oramus: Ita post obitum Ephori nostri, doctrinae, subtilitate, annorum gravitate, vitaeque sanctitate conspicui, Grundigii in TE desideria nostra impleta, jacturaque omnis restituta est.

Docet historia Ecclesiae Lutheranae, optimos coetuum moderatores fuisse, qui olim in Academiis Magistri iuventutis, et scientiarum docendarum cum fuissent, deinde in Sacerdotia cooptati, per gradus ad altissimum locum ascenderint. In Academiis olim docuisse, eam solet dare exercitationem in rebus subtilioribus, quae per omnem vitae cursum *angelus* maximam praestet, per gradus ascendisse, eam facit experientiam, quam Capita Dioecesium afferre secum in munus, non tunc demum discere velle debent. His si addamus auctoritatem, quae
in

Zd 6231 OK X 3073999

in Viro tot per annorum documenta probato, non potest esse, quam maxima, videmus omnes, quid in TE habeamus. Sint haec omnia in illo, qui peregrinus ipse coetui sacra facientium praeponitur, tamen et cognoscuntur minus, et consuetudinem familiaritatemque non habent, nisi ubi diu iam locus diesque nos conjunxerit. TE per hos sedecim annos sola Friberga tenuit, testis ingenii, industriae, virtutis, fidei, TE collegae post TE surrogati suspicere et colere iam dudum sunt soliti. Specimina singularis doctrinae olim Lipsia, dein Friberga, iam Dresda accepit, quae et Eruditum et Disertum Virum in TE admiratur. Gaudet de TE Senatus noster Amplissimus, laetantur Collegae, in spem salutis redit Gymnasium, Civitas sibi gratulatur. Iubeat nobis hanc laetitiam perpetuam esse, ea, de qua diximus, Providentia Divina, atque in TE conservet nobis Exemplum puritatis, ut doctrinae, ita vitae! Floreas ipse, floreat Domus, Conjux, Liberi, TVA aliquando gloria! Fruere quam diutissime tot ingenii dotibus, quas nascenti Deus assignavit, sitque hic flos, in quo es constitutus, aetatis, famae, gratiaeque apud summos imosque constantissimus comes annorum, quos multorum in commoda quam plurimos habeas, optamus.

Nos quidem, si novus alienis ab oris ad nos praeful accessisset, eum rogassemus favorem amoremque. TE, cujus animum factum ad omnem svavitatem tot annorum consuetudine et usu non cognovimus sed penitus perspeximus, TE, qui nihil novi iam addere potes, ut nobis eum favorem amoremque continues servesque, rogamus. Vale.



OK. 297. 51

Z d
6231



VESTIGIIIS PROVIDENTIAE
 DIVINAE
 TATIONIBVS NOSTRAE AETATIS
 DISSERVNT
 VIROQVE
 ME REVERENDO
 EXCELLENTISSIMO
 NI GOTTLÖB
 CHTERO,
 O IAM EXOPTATISSIMO
 SOLENNITATEM HANC

GRATVLANTVR
 APVD FREIBERGENSES COLLEGAE,
 b Hunger, | M. Gottlieb Frid. Hilliger,
 Sen. | Conc. mat. ad D. Petr.
 rüsch, | M. Erasim. Anton. Schindler,
 | Conc. mat. ad D. Nic.
 enmeister, | Io. Frid. Rost,
 | Diac. ad D. Iac.
 is, | M. Christian Frid. Seyfert,
 Virg. | Past. ad D. Io. et Barth.

AVCTORE
 LE GOTTLÖB HERINGIO
 MAG, ET CONC. VESP. AD D. PETR.

GAE, D. XV. APRILIS MDGCLXXXI.

